vltimi ſinus ſecundæ Tabulæ, qui eſt 9995001. 222927, artificialis numerus includetur inter terminos hos 5000. 0252500 & 5000. 0247500. Quibus iam habitis terminis (per 31) poteris ipſos artificiales numeros eorum exquirere.

43. *Sinuum vel numerorum naturalium non in ipſos proportionales ſecundæ Tabulæ, ſed prope vel inter eos cadentium, numeros artificiales exhibere: ſeu inter terminos cognitos inſenſibili fractione differentes includere.*

Sinui dato ſinum ſecundæ Tabulæ proximum, ſiue maiorem ſiue minorem nota, huius tabulati ſinus terminos artificiales per præmiſſam quære: deinde per regulam proportionis, quære quartum proportionale ſe habens ad ſinum totum: vt ſinuum dati & tabulati minor ſe habet ad maiorem. Quod vno modo perfici poterit, ducendo dati & tabulati minorem in ſinum totum, & productum in maiorem diuidendo. Altero modo faciliore, ducendo ſinuum dati & tabulati differentiam in ſinum totum, & productum in dati & tabulati maiorem diuidendo, atque quotientem ex ſinu toto auferendo. At quia huius quarti proportionalis, numerus artificialis (per 36) tantum differt ab artificiali ſinus totius, quantum inuicem artificiales ſinuum dati & tabulati differunt: Et quia etiam illorum differentia, eadem eſt cum ipſo artificiali quarti per 34: Ideò artificiales terminos quarti, per penultimè præmiſſam è Tabula prima quære, & inuentos adde ad artificiales terminos tabulati, aut ab illis ſubſtrahe per 8. 10. & 35. prout tabulatus ſinus fuerit maior aut minor dato, & producentur artificiales termini ſinus dati.

EXEMPLVM.

VT ſit ſinus datus 9995000. 000000, ſinus Tabulæ ſecundæ ei proximus eſt 9995001.222927, huius termini artificiales (per præmiſſam) ſunt 5000. 0252500 & 5000. 0247500. Quartum deinde proportionale alterutro modorum ſupraſcriptorum quære, & fiet 9999998.7764614, cuius terminos artificiales (per 41) è prima Tabula quære, eruntque 1. 2235388 & 1. 2235386: quos ad ſuperiores terminos per 8 & 35 adde, fientque pro terminis artificialibus dati 5001. 2487888 & 5001. 2482886. Vnde & numerus inter hos medius, qui eſt 5001.2485387, optimè (per 31 poſ.) pro ipſo artificiali numero ſinus 9995000 dati ſtatuitur abſque ſenſibili errore.

44. *Hinc ſequitur, omnium proportionalium primæ Columnæ tertiæ Tabulæ, numeros artificiales exacte ſatis dari: ſeu inter terminos cognitos inſenſibili fractione differentes includi poſſe.*

Nam quum per præmiſſam, huius 9995000 (qui eſt primus ſinus infra ſinum totum, ex proportionalibus primæ Columnæ tertiæ Tabulæ) numerus artificialis ſit 5001. 2485387 abſque errore ſenſibili: ſecundi proportionalis ſcilicet 9990002. 5000, numerus artificialis (per 32) erit 10002.4970774. Et ſic in cæteris, progrediendo vſque ad vltimum eius columnæ ſinum 9900473. 57808. cuius, pari ratione artificialis numerus erit 100024. 9707740: eiuſque termini 100024.9657720 & 100024. 9757760 erunt.

45. *Numerorum naturalium, ſeu ſinuum non in ipſos proportionales primæ Columnæ tertiæ Tabulæ, ſed prope vel inter eos cadentium, numeros artificiales exhibere: ſeu inter cognitos terminos inſenſibili fractione differentes includere.*

Sinui dato ſinum primæ Columnæ tertiæ Tabulæ proximum, ſiue minorem ſiue maiorem nota; huius tabulati terminos artificiales per præmiſſam quære: deinde quartum proportionale ſe habens ad ſinum totum, vt ſinuum dati & tabulati minor ad maiorem, per vnum ex modis in penultimè præcedente deſcriptis quære: huius quarti ita inuenti terminos artificiales (per penultimè præmiſſam) è ſecunda Tabula quære, & inuentos adde ad terminos tabulati ſinus ſuperiùs inuentos, aut ab illis ſubſtrahe (per 8. 10. & 35.) & producentur artificiales termini ſinus dati.

EXEMPLVM.

VT ſit ſinus datus 9900000, proportionalis ſinus primæ Columnæ tertiæ Tabulæ ei proximus, eſt 9900473. 57808, cuius termini artificiales per præmiſſa ſunt 100024. 9657720 & 100024. 9757760. Quartum inde proportionale erit 9999521.661850, cuius termini artificiales (per 43 è ſecunda Tabula deſumpti) ſunt 478. 3502290 & 478. 3502812: quibus terminis ad terminos ſuperiores tabulati (per